



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Domi. V. post Pascha. Euan. Si quid petieritis. Iohan. Homiliæ tres

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

2. Cor. 3
dem post hanc uitam, deuelata facie gloriam dei intueri
mereamur in secula seculorum, Amen.

DOMINICA QVINTA

POST FESTVM PASCHAE,

Euangelium Iohannis. XVI.

Matth. 21
Marc. 11
Supra. 14



1. Iohan. 1

IN illo tēpore dixit Iesus discipulis suis: Amen amē dico uobis, si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit uobis. **V**isq; modo non petistis quicquā in nomine meo. **P**etite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. **H**æc in prouerbijs locutus sum uobis. **V**enit hora, cum iam non in prouerbijs loquar uobis, sed palā de patre meo annūciabo uobis. **I**n illo die in nomine meo petetis, & non dico uobis quia ego rogabo patrem de uobis. ipse enim pater amat uos, quia uos me amatis, & credidistis quia ex deo exiui. **E**xiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundū, & uado ad patrem. **D**icunt ei discipuli eius: **E**cce nunc palām loqueris, & prouerbiū nullum dicis, nunc scimus quia scis omnia, & non opus est

tibi ut quis te interroget. in hoc credimus quia
à deo existi.

HOMILIA .I.

Priusquam expositionem huius euangelij ingredia-
mur, breuiter causam, cur hoc euangelium in ista do-
minica legatur, explicemus. Constat dies iam im-
minetes, dies rogationum appellari, quos Germani quia
septimanam crucis dixerunt, argumentum magnum est,
hoc ita usurpatum esse iam inde à tempore illo, quo Ger-
mani primum facti sunt Christiani. & illud tamen neo-
christiani nunc quidem ex diarijs siue kalendarijs suis era-
dere non uerentur, qui nisi poenitentiam super hoc & alijs
peccatis egerint, ipsi quoque delebuntur de libro uiuentiu,
& cum iustis non scribentur, sed cum iis quorum non est
memoria amplius. Quia ergo huiusmodi dies rogationum sunt, &
prope iam imminet gloriosus ille dominicæ ascensionis dies,
quis non facile colligat, cur euangelium hoc hodie legatur?
quidē & Christus prolixū istū sermonē, quē discipulis suis
fecerat post coenā, conclusit cum ascensione sua, qua certi
reddebantur illi de ipsius omnipotentia, unde & orare cœ-
perunt, ut gaudium eorum impleretur, cumque perseverā-
tes essent in oratione unanimiter, cum mulieribus & Ma-
ria matre eius, decimo tandem die susceperunt spiritum
sanctum. Et nos igitur audaces confidentioresque redde-
re uoluit dominus ad orandum, ipso sermonis sui epilo-
go, iam iam abiturus in cælum per semitam passionis suæ
& mortis.

¶ Eadem quoque de causa qua euangelium istud huic do-
minicæ diebus etiā competit rogationum. Quidam enim
uir pius Mamertus, episcopus Viennensis in Gallia, me-
mor adhuc erat promissionis huiusmodi Christi, ac proinde spem
& fiduciam suam omnem in deum sanctumque dei uerbum
posuit, quum homines grauius angerentur, torqueren-
tūque terræ motibus, peste & innumeris morborum
generibus, quum insignes stupendique in aëre sonitus
audirentur, quum insolita sæuitia lupi irruerent in

Psalm. 52.

Johan. 13
14. 15. 16

Actus. 2.

uillas, pagos & ciuitates, inq; ipsos immensos hominum
aceruos letalibus irrumperent moribus, triduum istud
continuum ante festum ascensionis idem Mamertus insti-
tuit & dicauit supplicationibus, quibus deum iugiter pro
omni aduersitate rogaemus, ueluti iam iam ad Christū
ascensuri in cælum; qui antequam ascenderet, petere nos
iussit, & sic accepturos promisit. Consultū uidebatur, hoc
modo humanae miseriae & fragilitatis ærumnas deo pate-
facere, si quo fieri posset, ut ille ad miserationes erga nos
moueretur, non desperantes de promissione data, quin il-
le qui pro nobis aduocatus adfuit deo, & propiciatio est
pro peccatis nostris, clementer nos sit exauditurus.

Johan. 16.
1. Joh. 2.
Aurelius
¶ **Letania** hæc licet minor dicatur, maiori tamen non
paulo antiquior est, quia illam Mamertus instituit sub im-
peratore Zenone, cum interim maior demū coeperit ere-
ctaq; sit per **Gregorium Magnū**, anno nono Imperatoris
Maurici, qui plus quàm centum annis tandem post Ze-
nonem imperauit, autore **Aurelio Sexto**.

2. ¶ **Utraq;** hæc letania quāuis in priuatis regiōibus coepe-
rit, altera **Viennæ Calliarum**, altera **Romæ** per **Grego-
rium** nondum pontificem, tamē susceptæ ambæ sunt per
uniuersalem ecclesiam, quæ multis magnisq; rationibus
ad hoc est adducta. Siquidem hoc tempore plerunq; exci-
tātur bella, quo nomine orare debemus pro continua pa-
ce. Segetes & fruges quoq; iam adolescunt, ita ut tenerita-
tem eorum facile quid possit offendere. Ad hæc quilibet
in semetipso experitur sanguinem iam ebullire & effe-
uescere carnem: unde cum multæ oriuntur in homine con-
cupiscentiæ & commotiones malæ, merito iam orandus
est deus, & clamandum ad eum cum Paulo, ut auferatur a
nobis ista carnis tentatio: & ut ad spiritus sancti susceptio-
nem paratiores promptioresq; efficiamur, conuenit nos
antea in ieiunijs, orationibus, supplicationibus, & alijs
operibus bonis diligenter exercere. atq; ut sub ascensio-
nem Christi maiore cum fiducia, quàm quouis alio tem-
pore, oremus deum, ipso maxime iam nūc nos petere, pul-
sare, & quærere iubente. Et ad extremum, quando exem-
plar nostrum Christus est, qui iam iam ascēdit in cælum:
& nos quoq; ut tandem ascendere in cælum mereamur,

merito nunc clamamus ad dominum, supplicamus, obsecramus &c.

De materia processionum non est animus, iam nos in illam intrmittere, tu si quid uis, require parte tertia De supplicationibus & stationibus. **T**antum hic ratione edisseram, cur in Letanijs non solum deum, sed quosdam etiam nominatim sanctos imploremus, ut **P**etrum, **A**ndream, **G**eorgium &c. ut orent pro nobis. sit hoc sane uel eo maxime noie, ut sic apud deum sanctorum suorum intercessione opem & auxilium nobis impetremus, nostrarum precum per illos certum inueniamus euentum, & tandem ad illorum confortium perueniamus in caelo. **Q**uodq; in his & alijs orationibus nostris commemoracione utimur, & intercessione perfrui cupimus sanctorum, facimus tanquam obediētes sanctae ecclesiae filij, quae idipsum fieri ordinauit, instinctu spiritus sancti commouita, qui illam docet omnem ueritatem. quamuis multa habeat eius rei argumenta ex ueteri lege, in qua etsi nondum aperto caelo, nodum facta redemptione peccatorum, sancti nulli erant, eorum tamen sedula fiebat in orationibus memoria. **Q**uanto rectius nos hoc facere debemus nostris sanctis, qui iam in aeterna felicitate essentiam dei cōtemplantur. **S**ic **M**oyses orauit ad dominum pro populo, **R**ecordare **A**braam, **I**saac & **I**acob, & placatus est dominus super oratione hac. **T**res pueri orabant etiam in fornace ardente, **D**omine deus noster, ne auferas misericordiam tuam a nobis, propter **A**braam dilectum tuum, & **I**saac seruum tuum, & **I**srael sanctum tuum. **S**ed & **I**ezechia regi aegrotanti, atq; cum lachrymis domitum deprecanti respondit dominus, **L**iberabo te & ciuitatem hanc, & protegam urbem istam propter me & propter **D**auid seruum meum. **E**o pertinet & illud, quod quodocunq; sacerdos iste legalis ingressus erat in sancta sanctorum, rationale gestabat in pectore, in quo erant lapides duodecim, & his incisa nomina duodecim filiorum **I**srael. **P**ossent hic induci multa de intercessione sanctorum aduersus neochristianos, quae passim inuenies in homilijs de sanctis, nunc aliorum diuertamus. **P**rofecto cum nomina sanctorum cōscripta sint in libro uitae, & **D**auid ipse dicat, **N**imis mihi honorificati

Johanni 16

Exodi. 32
Daniel. 3

4. Reg. 16

Exodi. 39

Luc. 10

Psalm. 138 sunt amici tui deus, nimis confortatus est principatus eorum: & nos merito illos uenerari debemus, atque orare, ut & ipsi intercessores nostri sint apud deum.

Aug. tra. 3. ¶ Nunc tandem ad contextum euangelij ueniamus, ubi primum statim dicit dominus: Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Amen. inquit Augustinus, non est, interpretatum, neque enim Græcus hoc interpret ausus est facere, nec Latinus; sic mansit, ut honorē haberet uelamento secreti, non ut esset negatum, sed ne uilesceret nudatum. Cuiusmodi uoculae pleraeque remanserunt integræ, quas nemo interpretum ausus est in alienam linguam transfundere, ut sunt, Osanna, Alleluia, Pascha, Maranatha, quibus nunc ultro super sedemus.

Ougenes ¶ At quæres, cum Amen dictio sit Hebraica, & tam frequenter in ecclesia usurpetur, quid sibi uelit tamen. Respondeo, uocem illam apud Hebræos usum geminum habere, quia uenit à uerbo aman, quod significat credere, fidelem uel ueracem esse: inde Amen, quod potest esse aduerbium iurandi, aliàs etiam potest esse aduerbium affirmandi uel precandi prior hic est, quod hac particula præcedentem sermonē confirmamus. sic Hieronymus Amen

NOI

Super Matth. 6. signaculum uocat orationis dominicæ.
Sup epist Sala. 6 ¶ Alibi etiam, Amen, inquit, consensum significat audientis, & uelut signaculum est ueritatis. Quo usu accipitur, quando in ecclesia ad collectas & benedictiones responderetur Amen, hoc est, utinam, credo, uel fiat. sic plurimus illius etiam in concionibus usus est, quoniam hoc modo est aduerbium mixtum, affirmans simul & obsecrans, quæ duo certe pari gratia nequaquam præstare possumus aliquo latinæ linguæ uocabulo: ut mirum non sit, nomē hoc in germana sua lingua iam inde ab apostolis remansisse in ecclesiastica obseruatione. fecisse autē hoc apostolos, ex ipso

1. Cor. 14. constat Apostolo, qui docet supra benedictiones responderi debere, Amen.

¶ Alter dictionis illius usus est in confirmando & iurando, siquidē in Hebræos, idem quod ueritas est, siue credere. sic sæpe numero in scripturis iurat dominus, **Num. 14** Vivo ego, dicit dominus, sic in euangelio ait Amen, com

probare uolens uerum esse quod loquitur. Et notanter uide, solum Iohannem geminare amen, cum ceteri semel tantum enuncient.

4. ¶ Air igitur dominus: Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem meum in nomine meo. In nomine meo addidit, inquit **Cyillus**, ut mediatorum se & collargitorem ostenderet. Nullus enim accedit ad patrem nisi per filium, per quem adductionem habemus ad patrem in spiritu, ut ait **Paulus**. In hoc ille se ianuam quoque appellauit, & talem quidem, ut nemo ad patrem nisi per hanc ingrediens perueniat. siquidem hic ipse, uia, ueritas est & uita. Ac per hoc nouam illam & euangelicam orandi formulam declarauit hic dominus, quæ in ueteri testamento usitata non erat. ignota enim patribus ista fuit orandi consuetudo in nomine **Christi**, & sicut cæterorum nihil fuit in lege perfectum, adeo ut iustitia legis quoque perfecta non fuerit, ita & modus orandi erat imperfectus.

¶ Simul atque autem uenit **Christus**, & cum eo gratia & ueritas facta est, omnia quoque emendata sunt in melius, itaque rectiorem nobis præscripsit orandi formulam: quam deinde per uastum & spatiosum terrarum orbem arripuit ecclesia, & nunc quoque obtinet, ut collectas omnes sic concludat, Per dominum nostrum **Iesum Christum** filiū tuū, qui tecum uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

¶ Et merito quidem per **Christum** precamur, tanquam mediatorē nostrum inter deum & homines, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus nobis. Idem quoque de uirgine matre in usu habetur, licet ea mediatrix non sit redemptionis, tamē intercessionis. In cuius rei argumentū, ecclesia in horis canonicis post orationem dominicā adiungit salutationem angelicam: & tunc demum reperitur illud, Et ne nos inducas in tentationem &c. Unde confiat, nos per **Mariā** tanquam mediatricē, cupere à tentatione & omni malo eripi.

¶ Porro cum **Christus** & mediator nobis sit simul & collargitor, non eodem utriusque sit modo. In quantum enim filius & deus est, unā cum patre nobis bona largitur: quod ostendens **Paulus**, dicebat: Gratia uobis & pax à deo patre & domino **IESU CHRISTO**. In quantum uero mediator

Cyillus.**Ephess. 2.**
Johan. 10**Johan. 14****Heb. 7****Johan. 8****1. Tim. 2****Cyillus.****1. Tim. 2**

1. **Johan. 2.** est, pontifex, consolator & aduocatus, nostrasq; preces ad patrem adducit, hoc est, secundum naturam humanam. Et nos itaq; dilectissimi in nomine domini nostri Iesu Christi oremus, idq; expressius & non in communi, sicut in ueteri testamento etiam David orabar: **In nomine tuo leuabo manus meas.** & **Jeremias** quoq; dicebat, **Nomen tuum inuocatum est super nos.** Nunc non sic tantum, sed expresse oramus deum per **Christum** dominum nostrum, si modo exaudiri cupimus, & ut petita accipiamus, simulq; repleamur gratia dei ad resistendum uoluptatibus carnalibus. & ut de die in diem feruentiores reddamur in operibus bonis, gaudentes in hac uita ex spe premij eterni, qd nobis concedere dignetur, qui est benedictus in secula, uiuens & regnans cum deo patre in perpetuum. Amen.

HOMILIA II. DOMINICAE

V. post festum Pasche.

Augustin. **A**men amen dico uobis, dicit dominus, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. **O** uerbum desiderabile, omniq; gaudio & letitia prosequendum, quod tamen non sono literarum ac syllabarum accipiendum est, sed eo quod sonus ipse significat. qd eo sono recte & ueraciter intelligitur. id ipsum sane accipiendum est dicere **Christus**, cum ait, **In nomine meo.** quia non petitur in nomine saluatoris, quicquid contra rationem salutis petitur, & in hoc diuino consilio angelus precepit **Ioseph**, ut uocaret nomen eius **Iesus**, quonia ipse saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Estq; hac immensa nominis Iesu dignitas, quam attendens **Paulus**, dixit: **Quia exaltauit eum deus, & dedit ei nomen super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & inferorum.** **O** admirandam atq; stupendam nominis Iesu potestatem. siquidem ille neq; uisus, neque rogatus, sed appellatus tantum apud deum patrem, mirabiles reddit uiros apostolos, sicut pulchre testatur **Lucas**, cum ait: **Domine, da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu.**

fu, & cum orassent, motus est locus in quo erāt congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebātur uerbum dei cum fiducia. En hic tibi efficaciam sancti nominis Iesu, de quo plura require in die circumcisionis domini. Potest autē, inquit Beda, mouere infirmos auditores, quomodo discipulis saluator promittat, Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. cum non solum nostri similes multa, quæ patrem in Christi nomine uidentur petere, non accipiunt: uerum etiã ipse Paulus tercio dominum rogauerit, nec imperrare potuerit. Atqui iuxta Augustini sententiam Pauli ista petitio non faciebat ad suam salutem, eo quod tentatio illa permessa in eum fuerat diuinitus, in custodiã humilitatis, iuxta quod ait: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis. Noluit ergo exaudire illum deus, quia hæc petitio non fiebat in nomine Iesu, siquidem cõtra salutem.

Beda.

2. Cor. 12.

2. ¶ Deinde tentari malum non est, sed in tentatione succumbere, id deniq; malum est, ut ait Iacobus, Pro magno gaudio ducite fratres, cum in tentationes incideritis uarias. Quum igitur Paulo gratia rãta diuinitus data sit, ut tentationem uincere posset, longe utilius ei fuit non exaudiri, iuxta quod dominus respondit ei, cum ret orasset: Sufficit tibi gratia mea, quia uirtus in infirmitate perficitur. Vnde & Augustinus dicit, exauditum esse Paulum ad salutem, qui tamen exauditus non est ad uoluntatem. Et dat ille tunc regulam egregiam, cum ait: Nouerit magnum sacramētum charitas uestra, quod ideo cõmendamus uobis, ne unquam incidat uobis in tentationibus uestris. Sancti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper inquam exaudiuntur ad salutem æternam.

Jacob. 1.

1. Cor. 12.

August.

super. Ca.

no. Johã.

tra. 6.

2. ¶ Hinc iam cõstare potest, quomodo quilibet Christianus comparare se, animumq; instituere suũ debeat in oratione sua. iam enim auditum est, deum semper exaudire sanctos ad salutem: interdum malos quoque, sed ad uoluntatē tantum, nõ etiã ad salutem. Sic à deo petijt sathan sibi permitti, ut aduersariis affligeret Iob, & impetrauit, interfecitq; ei filios & filias, aedes deiecit: boues, oues, asinos, camelos, & quicquid erat possessionum.

L

- ademit: solā illi reliquit uxorem, nō in solatium tantorū malorum, sed eo animo, ut tandem rebus & dolis destitutus omnibus, per solam illum deciperet uxorem, sicut primum parentem nostrum, & per eum nos omnes in ruinā adduxit: neque omnino fefellit illum spes sua, licet vana, siquidem cum maxime ægrotaret Iob, & affligeretur uehementissime, tum eum uxor tentauit acerbissime. Sic exauditi sunt spiritus immundi, cum orassent dominum
- Aug. sup cano. Joh. han.** sibi permitti, ut in porcorum gregem intruerent. Perfidus gens Iudæorum & impia, cum abundaret manna, petiit carnes sibi dari, & datæ sunt. uerum quo euentu? tall nimirum, ut **David** canit: Manducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. (siue secundum **Hebræum**, incuruare fecit.)
- ¶** Ecce quā uerum sit illud, quod uulgo dicitur, Sepe dat deus iratus, quod non daret placatus. Multi sunt qui petunt, & exaudiuntur à deo, tantum in malum proprium. sunt qui postulant sanitatem, diuitias, honores, & contingunt illis: quoniam nouit deus eos aliquid bonorum operum facere aut fecisse, quæ eis hic temporaliter remunerat: cæterum ipsos tandem detruendi sinit in gehennam ignis. De ijs uerum est illud euangelicum, quia receperunt mercedem suam. Possem nominatim uobis hic exempla referre eorum qui sic orârunt, & exauditi sunt. uerum interim huiusmodi hominibus responderet dominus idem, quod duobus apostolis dixit, Nescitis quid petatis. Constante orauit **David** dominum de ægritudine filij sui, cum lachrymis & ieiunijs: mortuusq; est infans die septimo, & pro illo dedit ei dominus filium maiorem **Salomonem**. Atq; ut aliquando finiam, quam nescit homo, an quod petit, sibi conducatur magis aut obsit, quo ad salutem animæ, relinquere debet illud diuinæ uoluntati & misericordiæ, atque in hunc modum dicere: **Fiat quæso domine uoluntas tua. Sit igitur hæc tibi lex certa, & uelut amussis, ad quam omnem orationem tuam accommodes, neq; errabis facile. tm̄ medico liberā relinque tui cu-**
- Matth. 8.**
- Num. 11.**
- Psalm. 77.**
- Matth. 6.**
- Matth. 20.**
- 2. Reg. 12.**

ram. ipse enim optime cognoscet, quid animæ tuæ magis conducatur. Amissim autem hanc si ipse non habes, **Roma. 8.** ex Apostolo pete, & dabit tibi, dicens: Nos quidem quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis. Ad hanc regulam sit hoc tibi exemplum: Si sit tibi filius, & hic ageretur ad mortem, tuq; ores deum pro incolumitate eius & longæuitate, nec tamen audiaris, illeq; moriatur. Quid itaq; quoniam id ipsum animæ suæ conducibilis est, cum ille iam mortuus, saluetur, qui si diutius uixisset, malitia perditus, forse periisset. **Quare & Sapiens dicit:** Placens deo factus dilectus, uiuens inter peccatores translatus est, raptus est ne malitia mutaret intellectū eius, aut ne fictio deciperet animam illius. **Reperias** huiusmodi liberos plures, quibus quanto melius esset cito mori, quàm diu uiuendo sibi edificare gehennam. **Saul** primo bonus erat, neq; multo post animus eius mutatus est in malitiam. **Salomone** quoq; primum quis melior: & ipse tamen demum idola coniugum suarum adorauit. **1. Reg. 15. 3. Reg. 11.**

Sapien. 4

1. Reg. 15
3. Reg. 11

3. **Deinceps dicit dominus:** Hucusq; nihil petistis in nomine meo. petite, & accipietis, ut gaudium uestrū plenum sit. quæ sane uerba beatus **Augustinus** uult quodammodo interpretari superiora, ita quod omnis oratio nostra eò tendere debeat & dirigi, ut gaudium nostrum plenum sit. id autem nisi in felicitate æterna fieri nō potest, ubi tantum illud fiet, ut ei reliquū addi nihil possit. **Quis** igitur pro isto gaudio consequendo petit, is petit in nomine Iesu: & quicquid extra uitam æternam petitur, nihil est, si conseras ad felicitatem. **Quomodo & Paulus** hominem procacem & remerariū ait nihil esse, non quod omnino nihil sit, sed comparatione bonorum: ita hic nihil orant, quotquot pro alijs rebus à felicitate orant. **ora-**re autem debemus, ut gaudium nostrum plenum sit: **plenum** uero gaudium non est, quod tristitia miscetur, sicut ait **Sapiens:** **Risus** dolore commiscetur. **Dum** igitur dicit dominus, **Petite, & accipietis, ut gau-**

Sala. 6

Bernard.

dium uestrum plenum sit, insinuat nos semper orare debere, & non deficere, tantisper dum plenum illud gaudium uitæ æternæ consequamur.

Chryso. Iterum hic declarat apostolis profuturum, si corporaliter ab eis recederet. siquidem illi hæcenus nihil petierant, & post abitum domini denique petituri erant. Illud itaque dum dixit, uelut hoc dicere uisus est: **Quid de abitu meo contristamini? ecce nomē meum relinquo uobis,** potēs adeo & præualidum, ut quicquid patrem meum in illo petieritis, id certo habituri sitis. Nec est quod derelictos uos esse putetis, dum magnificū adeo & forte nomen uobiscū haberis. Et hoc est quod Theophylactus ait: **Tūc plenissimum erit gaudium uestrum, cum accipietis omēs petitiones.**

Theoph. 4. Multū hic laborant doctores, quomodo dicat Christus discipulos suos hæcenus nihil petisse, cum multa uideantur huic sententiæ esse contraria. siquidem filiū Zebedæi per matrem petierunt, ut sederet alter ad dexteram, ad sinistram alter. Ad hæc, discipuli omnes eiecerūt demonia, quod sine oratione non fit. **Quid quod dominum petiit Petrus, dicens: Domine, quò uadis? & Philippus, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Vniuersi quoque discipuli orârunt: Domine, adauge nobis fidem.** Verum quidem est, antehac quoq; petisse discipulos multa à domino: at hic Christus iubet eos petere ex patre suo, & sic accepturos illos. Sed & omnis ista discipulorum petitio ut plurimum aliud continebat à uita æterna, quam obrem & oratio eorum nulla erat. siquidem quod mater filiorum Zebedæi petebat, carnale erat & corporale, nihilq; faciebat ad uitā: sed istud bibere calicem passionis, & quod gratiam sanctorum ex deo petierūt, id quoq; corporale extitit, multisq; modis infertus ijs quæ uere sunt spiritalia. **Quid multa? cum nondum uere agnouerint discipuli magnificentiam Christi ante ipsius resurrectionem, ascensionem & spiritus sancti missionem, nō poterunt quicquam efficaciter petere in nomine suo, cuius uirtutem & omnipotentiam cognitam nō habebant. tantū igitur petebant Christum, quàm diu illum præsentem secum habebant.**

Matth. 20

Lucę. 9

**Johan. 13.
v. 14.**

Lucę. 17

Augustin.

Lucę. 9.

Pulchrè hæc Christi uerba uenerabilis ille pater Beda adcomodat, dicens: Petite, ut gaudium uestrum sit plenū, & accipietis. plenum ergo gaudium, beatitudinem perpetuæ pacis appellat. Nam ut raceamus de gaudio reprobos, quo sibi luctū merentur æternum, habent sancti etiã in præsentem gaudium de spe cælestium bonorum, cū pro domino terrenis exercentur aduersis, discunt gaudere cū gaudentibus, flere cum flētib; sed non est plenum gaudium, quod fletu uariante miscetur. Nō huiusmodi gaudium petere illos uoluit, sed tale, quod nulla inquietatione minuitur, tempore nullo ficitur: tale inquam, de quo Petrus loquitur, dicens: **C**redentes exultatis lætitia inenarrabili & glorificata. reportantes finem fidei uestre, salutem animarum uestrarum. Dominus deus noster per suam immensam misericordiam dignetur nobis gratiam conferre suã, cuius ope & præsidio digni efficiamur, qui possimus plenitudinem hanc accipere gaudiorum felicitatis æternæ, Amen.

HOMILIA III. DOMINICAE

quintæ post festum Paschæ.

Postquã discipulis suis dominus dixisset, ut quiduis peterent in nomine suo, statim subdidit: Et hæc in parabolis loquutus sum uobis. Quod de quibus sane uerbis dixerit dominus, non absurde admirabitur quispiam, & primum quidem intelligunt nonnulli ista dicta parabolica referenda ad ea, quæ apostolis suis dominus loquutus est adhuc degens in terra: quoniam futurū erat, ut nec in parabolis, neq; prouerbis loqueretur illis, scilicet in uita æterna. sic Paulus: Hic inquit, uidemus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. & ut Iohānes ait: Videbimus eum sicuti est. Et quamuis eō prope modum declinat Cyrillus, illius tamen sententia Augustini. Possent hanc de qua loquitur horam dicere, futurum oportere seculū intelligi, ubi uidebimus palam quod beatus Paulus dicit, Facie ad facie.

L iij

1. Corin. 13. & in prouerbis iam loquutus sit, quod idem dixit, Vide-
mus nunc per speculum & in ænigmate. sed & istum sen-
sum uidetur impedire quod sequitur, Illo die in nomine
meo petetis. in futuro enim seculo quid petituri sumus,
quando satiabitur in bonis desiderium nostrum?

2. Corin. 13. **Cyillus.** ¶ Quicquid autem id est, hoc sane constat, in die nouissi-
mo omnem prophetiam desitutam: finemq; tunc futu-
rum omnis illius, quæ nunc est in ænigmate, cognitionis
dei, cū figura mundi istius transferit. Quemadmodū in no-
cte serena stellarum splendor & pulchritudo apparet, so-
le autem oriente, particularis stellarum splendor euacua-
tur: eodem arbitror modo, cognitio ista præsens tēpore
illo desinet, cum perfecta cognoscendi lux nobis infusa
fuerit. Omnis quoq; illa nostra rerum caelestium cog-
nitio, nocturna tantum est & caliginosa, lucente nobis tan-
tum unica ista stella fidei, unde modicum habemus fulgo-
rem & radium gloriæ dei. Vbi autem in uita æterna ex-
ortus nobis fuerit sol iustitiæ, tum deniq; discedent astræ
& nocturnus splendor fidei. Vt iam expositio illa & in se
uerissima sit, & nobis modis omnibus amplectenda. **CHRIS-
TUS** tamen an hic de hac re loquutus sit, paulo post dis-
feremus.

1. Cor. 16. **2. Cor. 3.** ¶ Sunt insuper qui uolunt hic Christum loquutum
simul & insinuare uoluisse discrimen noui & ueteris te-
stamenti. hoc enim totum in abditis, occultis & arcanis,
mysticisq; uerbis positū fuit, quando istis in figura omnia
certum est contigisse: quo nomine uelut quōdam fuit
sanctis sanctorum prætextum, quod in hodiernum usq;
diem præ oculis suis seruant Iudæi.

Johan. 1. **Exodi. 12.** ¶ At cum primum uenit plenitudo tēporis, Christusq;
in nouo testamento uera illa & omnibus manifesta sacra-
menta simul & sacrificia aperuit, facile cognoscimus, quo-
modo lex per Moysen data est, ueritas autem & gratia per
Iesum Christum facta est. Parabola erat, illa iā olim apud
Iudæos in usu habita agni paschalis māducario: atqui nūc
clara uoce Paulus testatur & clamat, quia pascha nostrum
Hebr. 9. Christus est, sicq; discurrete potest per omnes ueteris te-
stamenti partes. Quid obstat igitur, quo minus omnis il-
la cognitio ecclesiæ sit in ueritate eorum, quæ iam olim si

gulis tantum fuerunt inuoluta? istic oves immolabantur & hirci, hic **Christus** sanguinem diffudit proprium in salutem fidelium: istic sacerdotes offerebant uirulos hostias pacificas, hic sacerdotes nostri nec uictimas, neq; hostias pacificas, sed nec aurum aut thus, sed q; iisdem muneribus & sacrificijs designatur, offerunt **Christum Iesum**, qui fecit utraq; unum.

Psalm. 50

Ephesi. 2

¶ Neq; tamen interim desunt qui uerba hæc sic uelint intelligi, quod istud quod in parabolis loquutus est dominus, referat ipse ad uerba priora, quæ multum fuerant obscura. At ego non uideo, quomodo sequentia uerba non sint perinde occulta & obscura, ut illa de quibus isti loquuntur priora.

¶ **C**omunis itaq; intellectus hic est, quod **CHRISTVS** loquutus sit de omnibus quæ euangelicæ doctrinæ sunt & prædicationis, quæ tum obscura fuerunt sepulta caligine, cum **Christus** prædicaret totum penè quadriennium, eo quod intellectus adhuc apostolorum rudis erat, carnalis & plane **Mosaicus**. & qui uix terrena capere poterat, ad sublimia & cælestia pertingere quomodo potuisset, cum animalis homo nõ percipiat ea quæ sunt spiritus? Ex carnalium autem hominum numero tunc adhuc erant apostoli, usq; dum gratiam acciperent spiritus sancti, quando tandem uenit hora, de qua loquutus est dominus, simulq; pollicitus se iam amplius non in parabolis, sed aperte loquuturum illis, & adnunciaturum de patre suo. Ac quamuis iam habebant quorundam sacramentorum institutionem, adhuc tamen ignorabant uirtutem & efficaciam illorum, tantisper dũ adueniret spiritus sanctus, qui corda eorum implet, qui ipsos omnem doceret ueritatem: quod **Christus** quoq; post resurrectionem suam fecit in die Paschæ, dum discipulis duobus prophetas interpretaretur & **Moysem**.

Johan. 3
1. Corin. 2

Luc. 24

Matth. 23

¶ **O**bjicies aut̃ illud hic mihi, q; alibi dixit dominus: **V**obis datũ est nosse mysteria regni dei, alijs aut̃ in parabolis. Quid igit̃ hic ait, hæsten? se cũ illis locutũ esse in parabolis? Ad hoc respõdeo, sine dubio ap̃os ante dñicã passionem imperfectos adhuc fuisse, atq; ideo opus habuisse, ut cum eis dominus in parabolis tantum & proverbijs

L. iij

loqueretur. imbecilles enim erant, & dicta hæc sublimia, etiam si audissent, capere non potuissent. Quod autem alibi dixit eis, Vobis datum est nosse mysteria &c. id quoque sic sibi constat, quod illis dominus plus mysticæ cognitionis contulit, quam uulgo hominum. Verum id ipsum quoque lac tatum fuit, & nihil solidi cibi. sicque cum illorum cognitio eminentior fuerit, quam ista uulgaris hominum, guttum solummodo habuerunt exiguum rerum sublimium fidei nostræ, quas tamen penitus non cognouerunt eousque, dum spiritus sanctus illis mitteretur.

Augustin.
Chrysof.

3. Porro iam, in illo die, dicit dominus, petetis in nomine meo. Vbi secundum communem sanctorum patrum expositionem, de die loquitur quo illuminati sunt, quod cepit quidem statim post Christi resurrectionem, perfecte tamen adimpletum est ipso die Pentecostes, quando in nomine Iesu miracula fecerunt, sicut liber Actuum apostolorum testatur. Subdit autem Christus, non dico uobis, quia

Actuum. 2.

Johan. 17

Augustin

ego rogabo patrem de uobis. Quid hoc sibi uult, inquit, aut non uult Christus pro discipulis sui rogare patrem, cum tamen constet, statim postea illum pro eis orasse, nec pro ipsis tantum, sed pro omnibus qui credituri per eos erant? Augustinus ad hoc respondens, sic dicit: Dominus noster Iesus Christus, in quantum homo est, pro nobis interpellat patrem, in quantum autem deus, nos exaudit cum patre. Et iuxta hoc dicit hic se non oraturum pro eis, idque sane promanat ex uerbis præcedentibus, quum enim ait, in illum diem scilicet Pentecostes, quum petituri essent in nomine suo, se adnunciaturum eis de patre suo: constat eos etiam, quam clare cognoscerent deum patrem, intellexisse hunc uerum esse illius filium (quia relatiua sunt simul natura, hoc est, naturali intelligentia) sicque agnoscens eum deum uerum, cognouisse utique, quod illum adorare debe-

Chrysof. ant: nec amplius ipse pro eis rogaturus esset, & interpellaturus. Chrysostomus tamen hic adhuc respiciens humanam in Christo naturam, secundum quam mediator noster est, uult dixisse eum, quoniam amplius non sit rogaturus pro eis, quasi sic dicere uoluisset: Non ego pro uobis rogo patrem, quia cum uos me diligatis, uicissim uos diligit deus pater, sicque dum uera in me dilectio sufficit uobis, sine ullo medio

necessum iam habetis ad deum patrem meum, neque aliud opus habe-
 ris mediatore, scilicet accepto iam spiritu sancto in die pen-
 tecostes. Antea tamen adhuc ante passionem suam pro eis
 oravit, cum nondum perfecta esset in eis dilectio. Neque
 tamen ignoro, quosdam sic exponere, quod Christus etiam
 si hoc non praedixisset, pro eis tamen rogare adhuc potu-
 erit, idque ego facile persuadeor, ut credam: vobis tamen li-
 bentius propono certam sanctorum patrum sententiam.
 Et quod crediderunt pariter, & dilexerunt apostoli Christum,
 argumentum efficax est aduersus neochristianos, fidem
 solam non sufficere. Nos quoque credere debemus, quod cre-
 diderunt illi: quia saluator noster Christus dominus exi- *Philari. li. 6*
 uit a patre per generationem ab aeterno, & per incarna- *de. trin.*
 tionem in tempore: rursusque reliquit mundum per mor- *psalm. 118*
 tem, ac uadit ad patrem in ascensione: quos progressus om-
 nes paucis uerbis expressit Dauid, cum ait: A summo e-
 go (caelum hoc est trinitatis) egressus eius, id est, incarna-
 tio: & occursum eius, hoc est, ascensum usque ad summum eius.
 Ascendit enim in caelum, & sedet ad dexteram patris omni-
 potentis.

4. Et dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam lo-
 queris, & pro uerbum nullum dicis. Obiicies autem, quo-
 modo illud uerbum discipulorum conueniat cum eo, quod
 iam iam Christus dixerat se cum illis loqui in parabolis:
 aut iam ne adfuerit hora, qua Christus ipsis in parabolis
 locuturus amplius non erat. Beda ad hoc respondens: Ver- *Beda.*
 ba, inquit, ista domini mystica fuerunt, sed discipuli qui-
 bus dicebantur, adeo carnales erant, ut eorum profundi-
 tatem minime caperent: & non solum arcana dictorum,
 sed etiam nec ipsam ignorantiam suam intelligerent: sicque
 dum uerba haec melius sibi intelligere uidebantur quam
 intelligebant, factum est, ut manifesta putarent quae non
 accipiebant: & cum ex sermone Christi tria haec obserua-
 rant, se a patre diligere, Christum a deo patre esse, & nunc
 rursus ad illum abire: statim eo quod se a patre diligere ani-
 maduerant, omnia se intelligere putabant ac dicebant:
 Nunc scimus quia scis omnia: & non opus est tibi, ut quis
 te interroget. Obiicies autem hic mihi curiosus quispiam,
 & dicit: Qui omniscius est, opus non habet, ut interroget

- cum ipse ab alijs subinde interroget: cur ergo discipuli dixerunt, & nō opus est tibi ut quis te interroget, ac nō potius, ut tu quenq̄ interroges? Respondet ad hoc Augustin⁹ & nō abnegat uerū esse quidē, qd̄ eos qui multa nōrunt, ut plurimū interrogemus. Verum hic apostoli Christo eminentē adeo tribuere uolebāt scientiā, ut pueniret illū qui se interrogaturus esset. qd̄ quāt o maius est, q̄ interrogatum respōdere. Vnde etiā cōcludunt ap̄t̄i & dicunt, Nūc credimus q̄ a deo existi: ex eo q̄ omnisciū eum credebāt, colligentes uerā illius diuinitatē, & q̄ a deo existet, non secus atq̄ Nicodemus cōfessus est: Nunc scimus q̄ a deo uenisti magister. nemo enim pōt hęc signa facere que tu facis, nisi sis deus cum eo. cuiusmodi & illud est caci apud Iohannē, N si esset hic a deo, non poterat facere quicquā.
- Johan. 3**
- Johan. 9**
Beda.
- Ceterū pulchrum est quod hic Beda dicit: Non hęc trāseunter neq̄ negligenter cōmemoranda sunt, sed solerter inuigilandum est fratres mei, ut nō uerba tantū & opera nostra, sed ipsa q̄q̄ cordiū secreta, diuinis aspectibus digna reddamus. Non in templo pectoris nostri odiorū flamma, non inuidiā rubigo resideat, nō inde turpis uel contumeliosi sermonis radix oriatur, nō ibi meditatio facti nocentis innascatur. Quō facit istud Senecā nobile dictum: Noli peccare, deus uidet. Et itē hoc ex oratione Salomonis, Tu dñe solus nosti corda filiorū hoīm. & illud Ieremiā uariciniū, Tu dñe Sabaoth qui recte iudicas, ac probas renes & corda. Vnde merito moueri debemus, ne quicq̄ uel cogitemus turpiter, qm̄ nihil est qd̄ lateat deū. Et o uere sapientē illū, qui omnibus foribus suis & partibus inscripsit, **DEVS VIDET** (quicqd̄ facis) rursusq̄ istū qui sic scripsit, **DEVS ODIT** (peccantē) tertiu q̄q̄ sic cōcludentē, **DEVS PVNIT** (non contritū.) Meminerimus itaq̄ subinde eius, qd̄ minā dñs per prophetā dicentē: Ego ope-
 ra eorū & cogitationes uenio ut congregē. Sic iam nos q̄q̄ ciecta uitiorū sentina, deo pparemus domiciliū beneplacitum in cordibus nostris: qui nunc q̄q̄ corda & animos nostros cōsiderat, q̄tenus ille uticissim in nobis habitet hic pec fidē & gratiā suā, tandē uero in gloria felicitatis æternæ, quā nobis largiri dignet̄ in secula benedict⁹. Amen.
- Seneca.**
- 1. Par. 6**
Jeremi. 9.
- Deus uidet.**
De⁹ odit.
De⁹ punit
- Isaig. 66**